

*HYMNI HOMERICI: FRAGMENTA HYMNI
IN BACCHUM 13–16*

scripsit

CONRADUS KOKOSZKIEWICZ

In *Hymnorum Homericorum* editione Appeliana (W. APPEL, *Hymny homeryckie*, Toruń 2001, p. 32) versus 13–16 hymni in Bacchum (*fr. h. Bacch. 13–16*) sic impressi sunt:

ἦ καὶ κυανέησιν ἐπ' ὄφρῦσι νεῦσε Κρονίων·
ἀμβρόσiai δ' ἄρα χαίται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
15 κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὀλυμπον.
[ὥς εἰπὼν ἐκέλευσε καρήατι μητίετα Ζεὺς.]

In nota in versum 16 (p. 320) scriptum sic est: „Zachowany w rękopisach w. 16 jest najwyraźniej alternatywny w stosunku do ww. 13–15” (quod est: “Versus 16, libris manu scriptis traditus, locum versuum 13–15 videlicet tenere potest”). Nec quicquam inibi amplius, sed hanc esse causam eum versum e textu Appeliano expellendi facilis est coniectura.

Interpretes Oxonienses, qui alioquin nihil in textu delent, haec scripserunt in commentario ad locum (*Hymni Homerici*, edd. T.W. ALLEN, W.R. HALLIDAY, E.E. SIKES, Oxford 1936, p. 106):

Alternatives, 13–15 and 16, have been proposed, but the similarity largely depends on the alteration of ἐκέλευσε (16) into ἐπένευσε. For the dative with κελεύειν cf. Ψ642 Ω326 μάστιγι κέλευεν. In ἐπ' ὄφρῦσι νεῦσε we have a tmesis for ἐπένευσεν ὄφρῦσι.

Quod est ferme:

Versus 13–15 et versum 16 esse inter se disiunctivos erat propositum, sed utrorumque similitudo pendet plerumque a reposito verbo ἐπένευσε pro illo ἐκέλευσε (16). De dativo ad κελεύειν confer [Homeri *Iliados*] Ψ642 Ω326 μάστιγι κέλευεν. In illo ἐπ' ὄφρῦσι νεῦσε habemus tmesin pro ἐπένευσεν ὄφρῦσι.

In his hoc imprimis videtur animadvertendum mutuam horum versuum similitudinem ab illo ἐπένευσε pendere re vera, ut scriptum est, “plerumque”; quia non solum. Non est enim praetereundum illo ἦ καὶ (quod est “dixit et”) in versu 13 illoque ὥς εἰπὼν (quod est “sic locutus”) in versu 16 cum iis, quae utrobique sequantur, eadem comprehendī, scil. Iovem dixisse et annuisse. Quod procul dubio bis est in his quattuor versibus dictum.

Nunc ad illud ἐκέλευσε. Versus utrosque, si pro illo librorum ἐκέλευσε reposuerimus ἐπένευσε, inter se etiam similiores futuros verum est. Nec tamen haec RUHNKENII coniectura facta videtur sine quadam ratione: nempe illud ἐκέλευσε καρήατι (quod est “imperavit vertice” sive “capite”) mirum ante omnia videtur genus loquendi. Interpretes Oxonienses attulerunt quidem nonnihil, et in commentario suo et in apparatu critico ad locum, ex *Iliados* vicesimo tertio et vicesimo quarto, in quibus exemplis verbum illud quod est κελεύειν dativum gubernat instrumentalem; sed, ut ipsi advertunt, quae in loco utroque legimus haec sunt: μάστιγι κέλευε(ν), quod est “imperabat flagello”, scil. iumentis. Sic vero dici omnino videtur naturale, nam flagellum illud nil est aliud nisi instrumentum gubernandi; longe aliter vertex sive caput, proinde illo ἐκέλευσε καρήατι viso et lecto nescio quid miramur, nam non capite imperari exspectamus, sed saltem capitis nutu. Nil ergo locus uterque ex *Iliade* allatus proficit ad lectionem libri, quae est ἐκέλευσε, defendendam. Atque ubi sic dicatur, ut quis imperet non nutu capitis sed capite ipso, omnino non invenio.

E contrario illud quod RUHNKENIUS coniecit, scil. ἐπένευσε καρήατι (“annuit capite”), praeterquam quod omni videtur vitio carere, etiam in aliis locis legi potest, scil. *Iliados* quinto decimo (Hom. *Il.* XV 75): ὥς οἱ ὑπέστην πρῶτον, ἐμῷ δ’ ἐπένευσα κάρητι, et in *Hymno in Cererem* bis (169 et 466): ἐπένευσε καρή(α)τι. Et ILGEN (*Hymni Homerici cum reliquis carminibus minoribus Homero tribui solitis...*, ed. C.D. ILGEN, Halis Saxonum 1796, p. 668) verbum a scriba mutatum esse sentit orationis variandae causa post illud ἐπ’ ὀφρύσι νεῦσε in versu 13. Nec talis error, ut librarius pro eo quod est ἐπένευσε sive calami sive mentis lapsu scripserit ἐκέλευσε, omnino excidere non posse videtur etiam nolenti verbis ambobus tam consimilibus. Quam ob rem coniecturam RUHNKENII non puto esse e vestigio abiciendam.

His, credo, rebus adductus WEST (M.L. WEST, *Homeric Hymns, Homeric Apocrypha, Lives of Homer*, Cambridge, MA 2003 [Loeb Classical Library], pp. 30 sq.), non iam videlicet dubitans hos versus esse disiunctivos, legit ἐπένευσε et sic ait: “The text in M incorporates two alternative endings to the hymn; the first looks the more authentic”. Hoc est: “Textus libri M continet hymni clausulas disiunctivas duas, quarum prior magis genuina videtur” (haec, de qua res est, clausula prior, quam WEST recipit in textum, constat apud eum ex versibus D.4–6 et D.8–10, qui sunt versus 13–15 et 17–19 in editionibus et Oxoniensi et Appeliana; alteram faciunt versus D.7 et D.11 sq. apud WEST, qui sunt versus 16 et 20 sq. in reliquis).

Ad haec omnia etiam illud accedit, quod versus illi 13–15 etiam alibi leguntur, scilicet in *Iliados* primo; iidem enim sunt versus Hom. *Il.* I 528–530. Quod editiones et Oxoniensis et Appeliana miro prorsus praetereunt silentio. WEST solus cum ILGENIO indicat eorum versuum originem in p. 31, sed nihil ex hac re colligit, quamquam vel ex ipsius apparatu facile colligi possit tres versus ex *Iliade* ad litteram transcriptos raritatem esse in *Hymnis Homericis* haudquaquam praetermittendam. Et, quod apparet ex adnotatione, quam in eadem pagina impressit, quodque iam egreditur omnem modum admirationis, “magis genuinum” (“more authentic”) putat, cuius magna pars aperte genuina non est: tres scilicet illos versus 13–15 (aut D.4–6 apud eum), quorum originem ipse in apparatu scribit esse *Iliadem*.

Cum haec ita sint, per naturam oboritur suspicio hos quidem tres esse in hac hymni parte spurios, versum autem 16, qui, si scio, nusquam praeterea legatur, esse genuinum. Quam ob rem Graeca sic potius crediderim cum ILGENIO impri-menda:

[ἦ καὶ κυανέησιν ἐπ’ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
 ἀμβρόσιαι δ’ ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
 15 κρατὸς ἀπ’ ἀθανάτοιο, μέγαν δ’ ἐλέλιξεν Ὀλυμπον.]
 ὧς εἰπὼν ἐπένευσε καρήατι μητίετα Ζεύς.

Et originem horum trium versuum in commentariis necessario indicandam puto, ut res hunc hymnum interpretaturis inculcetur neve iterum veniat in oblivionem. Quomodo autem huc sint hi versus translati, ILGEN sic explicat (p. 668): “Hi tres versus ex *Il.* α, 528 huc illati sunt. Grammaticus ἐπένευσε versus 7 [hoc est, versus 16 in Oxoniensi et Appeliana] illustrare illis voluit, et in margine ascripsit. Scriba deinde in textum recepit”. Quod utrum verum sit necne, ad vivum non reseo, id tantum mihi videtur adiciendum multum hic proficere potuisse etiam meram eorum non tam formae quam sententiae et tenoris similitudinem.

Universitas Varsoviensis / University of Warsaw

